

prerogativa specialis dilectionis amplectentes iuribus graciis et novis libertatum beneficiis crescere et fecundari uberius affectamus et sibi et eius venerabili Iohanni primo episcopo et capitulo ecclesie Luthmuschensis ex mera liberalitate et gracia, quam circa eandem ecclesiam episcopum et capitulum gerimus, generosius concedimus et indulgemus, ut ipsorum omnes et singuli homines per totius regni nostri ambitum constituti tam presentes quam posteri in acquisitis et habitis hactenus bonis et im posterum acquirendis ut¹ ipsum episcopatum Luthmuschensem nunc et in antea pertinentibus ab omni beneficiariorum provinciarum seu districtuum regni nostri beneficiariis Pragensibus dumtaxat exceptis potestate iurisdictione et iudicio ex nunc in antea sint et esse debeant exempti et absoluti ita, quod tam pro debitis quam pro criminibus et debitis magnis et parvis non alibi quam coram dicto domino episcopo et eius successoribus et eorum perfectis² et iudicibus quibuscumque tempore fuerint et eorum officialibus seu iudicibus prefati episcopatus homines possint et debeant termino conveniri ab omnibus et singulis, qui contra eos aut eorum aliquem habuerint actiones, prohibentes districte, ne aliqui beneficiariorum nostrorum exceptis Pragensibus contra homines eiusdem episcopatus Luthmuschensis camerarios citatores vel nuncios dare vel mittere ad citandam vel eos ad evocandam presentiam presumant de cetero vel attemptent. Volumus preterea, ut cum idem homines respondere non debeant nec, si citati fuerint, comparere teneantur aliquatenus coram eis, si vero de facto citati per aliquos seu aliquem beneficiariorum illorum, coram quibus ammodo comparere non tenentur, aliqui predictorum hominum non comparuerint coram ipsis, statuimus et ordinamus, ut ab eis trecentarum denariorum pena, que nescavie vulgariter dicitur, nullatenus exigatur, a qua pena propter calumpniantium versucias evitandas ipsas de cetero eximimus et esse volumus absolutos. Insuper statuimus et mandamus, ut nullus baro vel nobilis miles vel clericus iudex provincialis vel civitas civis villicus vel alter officialis noster aut alterius cuiuscumque condicionis vel officii fuerit in regni et dominationis nostri terminis constitutus eosdem homines episcopatus Luthmuschensis universos et singulos sive in civitate Pragensi sive alia vel extra eos in castello opido vel villa nostra seu alterius cuiuscumque pro debito vel delicto inignorationis detinere aut occupare presumat, sed volumus, ut aliqui aliqua contra ipsos episcopatus Luthmuschensis

1) sic, wohl irrig statt 'ad'. 2) sic.